

ditur ad cuius imaginem, & similitudinem effectus aliquis producitur.

III. Ex variis illis causarum generibus, efficiens, finalis, & exemplaris extra effectum ipsum reperiuntur, ideoque *extrinsecæ* vocari solent. Materialis vero simulque formalis causa, quæ a Philosophis appellantur *materia*, & *forma*, effectum ipsum componunt, intrinsecas ac essentielles ipsius partes constituunt; quin etiam ab effectu ipso sola intellectus operatione distingui possunt; sic per solum intellectum hominis substantiam a corpore & anima simul conjunctis distingui posse concipimus. Itaque cum materia & forma veluti intrinsecæ effectus partes spectentur, finalis autem & exemplaris causa ad efficientem referantur; evidens est solam efficientem causam superesse, quæ vere & proprie effectum ipsum producat. Ex his patet de *materia prima* & *forma* a scholasticis prolixius disputari. Et quidem materiæ primæ nomine nihil aliud vulgo intelligitur, nisi materia omni forma destituta, & ad omnes formas indeterminata. Porro talem materiam intelligi nequaquam posse nisi per mentis abstractionem evidens est; quidquid enim existit determinatum est. Similiter quid *formæ substantialis* nomine intelligi debeat, ex dictis obscurum esse non potest; quemadmodum nempe materia prima est subjectum indeterminatum ad formam quamlibet idoneum, ita forma substantialis dicitur id, quod materiam primam ad certam substantiam determinat. Talem vero formam seorsum consideratam non existere manifestum est, sed instar mo-

di